



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Acta Synodalia Dioecesana Ecclesiae Mediolanensis, Pars Secunda

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum. XLII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11399

Quæ omnia communi sermone regulis quibusdam expressa, cum & nostra & Inquisitoris auctoritate aliis sibi tradita sint; illa ipsa ab eis diligenter seruari mandamus, propositis pœnis ac multis quæ ipsa eiusdem Indicis regula constata sunt, & alijs præterea pro culpæ grauitate nostro & Inquisitoris arbitratu irrogandis.

Et quoniam hominum animis perniciè & interitum afferunt libri à pestiferis & hæreticis hominibus conscripti; non qui pro ea pastoralis curâ quâ gerimus, animarum salutem consulere nihilq; sanè prætermittere debemus, quod ad eam rem pertineat, Indicem ipsum vnâ cum his decretis in lucem dari volumus; vt nostri & vrbani & diœcesani animarum curatores vnâ apud se habeant, studioseque legant, nam cum auctorum, quorû libri anathematis pœna prohibiti sunt, nomina & cognomina alphabeti literis descripta ipso Indice notentur: tum regula traduntur quas nosse ij debent, quibus animarum cura commissa est; vt qui sibi in curam traditi sunt, eos cum opus erit, ipsi moneant, tum de libris cauendis, tum de regulis seruandis.

Quo in officij genere illud ipsi omnibus edicimus, vt si qui in suæ parochiæ finibus sunt, vel heredes, vel vltimarum voluntatum executores, qui libros habeant à defuncto relictos; illud eos moneant, quod decima regula grauissimè sancitum est, vt ne ijs ipsi vtantur, aut in alios quauis ratione eos transferant, priusquam vel ipsos, aut eorum indicem, illi cui id negotij nostra & Inquisitoris auctoritate datum erit, attulerint, ab eorq; ipsos eius rei facultatem obtinuerint; id que nisi manifestò perspicuû sit, libros eius generis esse, vt illi ipsi omnibus permitti sint.

Hoc in genere ijdem eò diligentiores erunt, quò maximè nos id cupimus atq; optamus; vt vrbis & diœcesis nostra omnino libera sit ab ea nefariorum librorum peste, quæ fidelium animis perniciofa & exitiosa est.

Decretum. XLI.

ILLVD sacris Canonibus constitutum est, vt à singulis Parochis diœcesana Synodo cathedralici nomine solidi

duo exigantur; idque argumeto honoris, qui cathedrali Ecclesiæ tâquam matris à cæteris parochialibus Ecclesijs tribui debet. nos tamen hanc pecuniæ summam, quæ superioribus temporibus huic Metropolitanæ Ecclesiæ eo nomine debita est, nec persoluta tamen, eam omnem etsi iure nostro exigere poteramus; quoniam quod eo nomine solui debet præscribi non potest, remittimus ac condonamus ijs ipsis Parochis, qui hoc ipsum cathedralicum prestare debebāt. Sed vt in omni re Metropolitanæ nostræ Ecclesiæ dignitatem & ius retineamus, & quantum in nobis est, conseruemus; illud vniuersos & singulos Parochos monemus, vt reliquis quæ Deo dante in posterum quorannis habebuntur Synodis diœcesanis, hos ipsos duos solidos, quos honoris ergo se Metropolitanæ Ecclesiæ iure debere iam sciunt, omnino persoluant.

Decretum. XLII.

NE quis clericus sacris ordinibus initiatus, quiue beneficium ecclesiasticum obtinet, præstandis ijs quæ decretis his Synodalibus sancita sunt à nobis; vlla vel excusatione, vel exceptione, vti possit, præsertim quòd ea ipsa ignorarit; nos propterea eorum vnicuique edicimus atque id iubemus; vt mensè postquam decreta hæc typis impressa in vulgus data erunt, ea quisque apud se habeat, & studiosè legat.

Quibus decretis ita promulgatis, quidquid fieri præstare iussum aut vetitum est, nisi facultate à nobis scripto impetrata; his ipsis obtemperatum esse declaramus, si id Vicario nostro generali præstetur, aut eius concessu agatur.

FINIS SYNOD. DIOEC. II.

Indicem Librorum prohibitorû, qui in veteri editione ex superioris Synodi decreto hoc loco impressus fuerat, quoniam ille iam denuo immutatus est, ne opus hoc plus iusto exeresceret, omnitem dum censuimus.

Libellus item Canonum penitentiarum & casuum reseruatorum ex superioris quoque synodi decreto hoc loco in altera editione impressus, commodiore loco infra postus est.

B 2 S Y-

na à parochis soluedum.

Hanc synodum omnes ecclesiastici apud se habeant.

Cathedrali
cù in syno-
do diœcesana